



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Pelagia V. & M. 4. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

suis, quas ipse sufflaverat, involutus flammis FLORIANVM appellavit, & integro corpore à rogo emerfit. Beneficium luculentius fuit, quàm ut illud obscurare invidia vel oblivio possit. Inde posteris quoque mos traditus est FLORIANI imaginem cum urnâ aquariâ in fronte ædium dedicandi. Vos illam, ô juvenes, etiam animis tutelam adsciscite, adversus multò tristiora incendia, quibus libido faces subdit, & perenne pabulum omnes corporis sensus subvehunt. Lingua, manus, aures, oculi, fatendum est, incendiarii sunt animæ.  
*Ex Surio.*

*O Ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus insania, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. S. Hieron. in Ep.*

## S. PELAGIA V. &amp; M. 4. Maij

PELAGIUM Tharsensem Diocletiani Deique filius sponsam ambierunt, illi corporis, hic animi pulchritudine captus. Respuit mortalem procum Virgo, & cæleste conjugium præoptavit. Paranympus Clino fuit Episcopus, quem divinitus sibi ostensum inter montium latebras reperit, ubi edocta est, qualis dos afferenda ad sponsum esset. Ea uno verbo innocentia appellatur, quam beati Genii domum PELAGIÆ tulere, cum lustrico fonte, qui ad Clinonis preces è ripe profuxit, tingeretur. Augusta præterea Virgo duplici diademate cincta, ut vel hinc terrarum Cælique Dominam intelligas, palam visendam se dedit, velut sanctorum sponsalium Antistes. Non fuit deinde difficile PELAGIÆ hoc virginali mundo exultare.  
 bom-



bombycum fila contemnere. Nimirum non Cæsaris sed Numinis oculis se compsit, cui in sponsâ cilicium præ purpurâ placet. Sed neque rivalem diu sustinuit Christus; hunc enim antelatum sibi indignatus Cæsaris filius, versusque ex amore in furorem, gladio pectus transfixit. Diocletianus tamen filium ulturus non fuerat, si Pelagiâ amorem à Christo ad se transtulisset. Abhorentem ab eâ conditionem novus Phalaris bovi æreo candenti includit, in quo illa, amore veriùs, quàm igne liquefacta est. Exuvias corporis in Linatum montem projectas quatuor leones tutati sunt; Clino in urnam composuit, & monti congregationis nomen indidit. Vos Sœdales, qui tituli iure reliquiarum hæredes estis, quod in Pelagiâ pulcherrimum fuit, innocentie vestem, primo loco votoque poscite.

*Ex Metaphrast.*

*Si luxuriâ flamma in ossibus aestuat, protinus illam memoria æterni ignis extinguat: si callidus insidiator lubricam carnis speciem objicit, illico mens ad mortuorum sepulchra oculum dirigat, & quid illic suave tactu, quid delectabile visu reperiat, solerter attendat. S. Pet. Dam. op. 7. cap. 23.*

S. MONICA VIDVA 4. Maij-

**H**ÆC est illa MONICA, quæ Augustinum bis genuit, orbi primùm, deinde celo, secundo quàm primo partu felicior, dum filio pietatem, alteram hominis animam, quam cum lacte instillare non potuit, plorando infudit. Hæresi Manichæâ mortalissimâ humani generis peste perierat Augustinus; mater sic mortuo affundere lacrymas non antè deficiit, quàm Episcopi oraculo recreata est spondentis: *Fieri non posse, ut filius istarum lacryma-*